



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 10. Coronationis solemnia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

§. X.

*Coronationis solemnna.*

Sæcul. XVI.

A. C. 1555.

Itaque Pontifex assumpto Pauli IV. nomine die vigesima sexta Maij solemniter ritu coronabatur, eaque festivitas omnium maxime erat magna; quippe univèrsa urbs aulæis superbe erat ornata & Palatii Apostolici, ac Pontificis Ministri, necnon Nobiles armigeri, ac Cubicularii rubras vestes induti præibant, eosque sequebantur Archiepiscopi, atque Episcopi tum Romæ agentes, qui omnes Pontificali habitu, ac splendidis trabeis, albisque mitris incedebant insignes: demum vero ex Cardinalibus Diaconi tunicis, albique coloris mitris, Presbyteri vero casulis, tandemque Episcopi pretiosissimis trabeis, mitrisque ornati sequebantur. Tandem in sede affabre elaborata summus Pontifex sedens, magnique pretii palium indutus, ac thiamam gemmis pretiosis distinctam in capite gestans sub magnifico, auroque contexto umbraculo a Regum, Principumque Oratoribus Romæ commorantibus deferabatur. Hoc ordine Papa D. Petri Templum ingressus e Sede sua descendit, atque coram Altari primario genuflexus, indeque ad D. Andreæ Apostoli Sacellum delatus coronationis insignia accepit. Postea ad

*Guil. Parad.*  
*in cont. hist.*  
*sui temporis*

*Raynald*  
*hoc ann.*

*num. 22.*

*Ciaccon. t. 3.*  
*p. 812.*

*Raynald*  
*hoc ann.*  
*num. 22.*



Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.

ad Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Aram deferebatur, ubi rem divinam Pontificio ritu peragebat, qua finita eodem ordine ad Palatium sub festivis populi acclamationibus revertebatur, cumque ex Ecclesia exire pararet, Joannes Bellajus Cardinalis ejus capiti tiaram, seu coronam Pontificiam imposuit, Papa vero adstanti populo bene precabatur: quo facto omnibus arcis S. Angeli, & Palatii tormentis iterato explosis electionis suæ diploma a Sacro Collegio conceptum per Franciscum Pisanum Cardinalem Diaconum S. Marci alta voce prælegebatur. Postea ingens pecuniarum summa in pauperes fuit erogata: Pontifex vero, ut festivitati finem imponeret, omnes Cardinales, Ferrariæ, atque Urbinatis Duces, necnon Franciæ, & Lusitaniæ Regum Legatos, ac Venetæ, & Ragusinæ Reipublicæ Oratores prandio excepit.

## §. XI.

*Plures Patrum Senatus Romæ a  
Papa habiti.*

*Raynald*  
*hoc ann.*

*n. 22. & 23.*

Feria quarta die vigesima nona ejusdem Mensis summus Pontifex in dicto Patrum Senatu Cardinalibus de ejus electione grates rependit, simulque quosdam jam antea a Marcello II. nomi-